COMMENTATIONIS
DE
AGATHONIS
VITA, ARTE ET TRAGOEDIARUM RELIQUIIS
PARTICULA.

QUAM
AD VENIAM
LITTERAS IN ACADEMIA FRIDERICIA HALENSI
DOCENDI
RITE IMPETRANDAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE
DIE XV. M. AUG. A. cIↄIↄCCCXXVIIII.
HORA X.

PUBLICE DEFENDET
FRIDERICUS RITSCHL
PHILOSOPHIAE DOCTOR

SOCIO AD RESPONDENDUM ASSUMPTO
RUDOLPHO HANOVIO
SEMIN. REG. PHILOL. SENIORE.

HALIS SAXONUM
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.

Etsi quae ratio esset quodque consilium huius scriptionis, satis indice declaratum est, tamen quo et mirationem levarem, quam arbitror futuram esse nonnullorum de instituti mei exiguitate, et angustiarum mearum susciperem excusationem, placuit praefationis opportunitate uti privatis scribentium curis enarrandis antiquitus constituta. Etenim ego et librarius cum sic depacti essemus, ut liceret mihi eam commentationis partem, quae est de *vita Agathonis,* disceptandi caussa proponere integram: tamen ille simul atque parum suis id conducere rationibus sero intellexerat, illico me convenire atque ut mutarem consilium poscere. Obsecundare viri honestissimi precibus par erat. Attamen quoniam eiusmodi particula quaedam deligenda erat, quae et suis ipsa contineretur finibus, et sat idoneam afferret disceptandi materiam: factum est, culpa quidem mea nulla, dolore vero haud mediocri, ut omisso commentationis initio typis iam expresso media quaedam capita eximerentur, quibus de sola *aetate* quaeritur Agathonis. Atque illud quidem facile fero, quod non defore praevideo, qui quaestionum chronologicarum pusillam, ut aiunt, exilitatem putidamque quandam sedulitatem valde fastidiant et stomachentur incredibiliter: qui quidem nec quae sit ratio et qui finis philologiae historicae pernosse videntur, nec illud reputare, non posse de re quaquam generatim atque

universe iudicari, nisi singula quaeque, quanto fieri acerrimo studio possit explorata, in promptu habeas: quo in genere vis insignis cernitur in subtili temporum investigatione, quae ut lux historiae merito appellata est, ita immerito a quibusdam hodie contemnitur. Sed non sine molestia quadam mea sepositum est initium scriptionis: quo factum est, ut resecarentur floridiores commentandi loci, quibus tum aliorum opera aestimaretur, tum nostri instituti et ratio redderetur et salubritas commendaretur, tum alia quaedam de tragica Graecorum poesi dissererentur, quae fere placere solent eis, qui ad interiores litteras non accesserunt. Itaque quantumvis ab eorum ego abhorream sterilitate, qui, quasi carmen condant vel fabulam agant, in mediam rem statim abripiendos lectores esse sibi persuadent, tamen nunc quidem necessitate urgente istiusmodi tenuitatem etiam superavi, atque in fragmenti speciem exorsus sum orationem. Sed haec hactenus: namque diutius in his conquerendi excusandique molestiis versari *ecquid erit praemi?*

CAPUT V.

Nova nunc exsistit eaque subdifficilis quaestio, quae est de aetate Agathonis. Quam sic significavit potius quam descripsit *Praxiphanes* apud *Marcellinum in vita Thucydidis* §. 30. *p.* 5. *exempl. Duker.* συνεχρόνισε δ', ὥς φησι Πραξιφάνης ἐν τῷ περὶ ἱστορίας, Πλάτωνι τῷ κωμικῷ, Ἀγάθωνι τραγικῷ, Νικηράτῳ ἐποποιῷ καὶ Χοιρίλῳ καὶ Μελανιππίδῃ· καὶ ἐπεὶ μὲν ἔζη Ἀρχέλαος, ἄδοξος ἦν e. q. s. In quibus Archelai commemoratio mirabiliter elusit *Henrici Dodwelli* praeposterum acumen *Apparat. ad Annal. Thucydid.* §. XXVI. *p.* 17 *sqq. Duker.*; quam quidem ineptissimam esse praeclare vidit acutissimus censor *Thucydidis Popponiani in ephemerid. Götting. a.* CIƆIƆCCCXXII. *p.* 1046. Cuius monitu cum pridem Archelai nomen uncis inclusisset Lud. Dindorfius, in eandem coniecturam denuo incidit *Guil. Henr. Grauertus p.* 190. *Obss. crit. in Marc. Vit. Thuc.*, quae leguntur in Musei Rhenani vol. I. *Praxiphanes* vero ille num idem sit ac Theophrasti discipulus, Rhodius, quem ipsum significare *Diogenes Laertius* videtur *lib.* III, §. 8., non tam certum est, quam *Hudsoni* visum est annot. ad Marcellin. Quod autem ex Praxiphanis illo περὶ ποιητῶν libro, a Diogene

l. c. commemorato, sumpta esse *Harlesius* in *Fabr. Bibl. Gr.* III, *p.* 503. putat ea, quae ex Praxiphane Theophrasti discipulo ad *Hesiodi Op. et D. init.* affert *Ioann. Tzetza*, id confido nemini probatum iri, qui cum Tzetzae annotatis Diogenis verba diligenter contenderit. Ceterum nec hoc censor ille Gottingensis non vidit, Archelai nomen positum fuisse a Marcellino inter poetarum nomina, quibus aequalis fuisset Thucydides: omissum autem a librario et in margine ascriptum esse, hinc vero importuno loco ab alio quodam insertum. Nolumus enim adeo hariolari, ut etiam *Πραξιφάνης ἐν τῷ περὶ Ἀρχελάου ἱστορίας* potuisse scriptum esse coniiciamus. Archelaus vero utrum rex dicatur an philosophus, ambigere licet: de philosopho certe temporum ratio quin cogitemus minime impedit. De cuius aetate paucissima quaedam dicturo mihi doleo nulli usui esse *Ionis Chii* testimonium, ab *Diogene* proditum II, §. 23. *καὶ νέον ὄντα* (*Σωκράτην*) *εἰς Σάμον σὺν Ἀρχελάῳ ἀποδημῆσαι*: quippe quod ipsius Socratis apud Platonem dictis satis redarguatur. Quocirca certioribus argumentis utimur his, quod tum Anaxagorae discipulus tum Socratis magister Archelaus fuit: hoc enim *Diogenis* II, §. 19., *Clementis Alexandrini Strom.* I. *p.* 129. *l.* 50. *Sylb.* et *Suidae v. Σωκράτης* testimoniis satis confirmatur. Anaxagoras autem natus est Ol. LXX. a. 1., ut tradidit *Diogenes* II, §. 7. Apollodori fide et Demetrii Phalerei: utriusque enim testimonia plane inter se congruere senties, ubi cum *Corsino Fast. Att.* III, *p.* 166. Meursii verissimam emendationem probaveris *Καλλιάδου* scribentis pro *Καλλίου de archont. Athen.* II. *c.* 8., et acute item *ὀγδοηκοστῆς* pro *ἑβδομηκοστῆς*, hoc est |Δ|ΔΔΔΠIIII pro |Δ|ΔΔΠIIII, *Lect. Att.* III, 27. Omnia autem apud Diogenem turpiter pervertit vitiosissime, ut saepe, transferendo editor Lipsiensis. Quodsi Anaxagoras natus est Ol. LXXVII. a. 4., non multum aberremus a veritate, si Archelai annum natalem circiter Ol. LXXIV. anno 1. attribuamus: ita enim non tantum potuit commodissime

tum Anaxagoram audire, tum instituere Socratem, sed etiam amator esse Socratis, quod, Suidae annotatum, sive verum est sive non est, tamen ne excogitari quidem probabiliter potuisset, nisi commode in utriusque aetatem convenisset. Itaque cur Marcellinum de philosopho potius Archelao cogitasse statuam quam rege, ratio haec est, quod cum historica et poetica arte coniunctior philosophi disciplina est quam regis imperium. De relicuis autem Thucydidi aequalibus non habeo, quod diligenti *Naekii* disputationi adiiciam, *Choeriliorum pag.* 30. 31. Propter Platonem Marcellini verba leviter attigit *Meinekius Qu. Sc.* II. *p.* 11.

De Agathone autem, quo ille iure Thucydidi aequalis vocetur, videndum est. Cuius vitam cum satis certum sit intra Olympiadas LXXX. et C. contineri, tamen quo natus anno quove mortuus sit, a veterum nemine definitum est. Quem locum diligenter pertractaturo mihi verendum illud est, ne qua molestia legentibus creetur disparium rerum copia ac varietate, ex quibus argumenta petentur aptissimo affinitatis vinculo invicem ex se nexa. Reputandum est autem, haud raro in hoc genere operoso argumentorum instrumento opus esse, ex quibus simplicissimum aliquod fiat iudicium. Itaque non est mirum, coniunctas cum hac quaestione esse uberiores quasdam disputationes, quas si a me alienas existimarem, profecto philologo parum digne agerem: qua tamen in re et perspicuitati studendum erit imprimis, et quantum fieri cunque poterit narrandi brevitati. Exordior autem ab *Aeliani* verbis *Var. Hist. lib.* XIII. *cap.* 4. *Ἀρχέλαος ὁ βασιλεὺς ἑστίασιν παρεσκεύασε πολυτελῆ τοῖς ἑταίροις. προϊόντος δὲ τοῦ πότου ζωρότερον πιὼν Εὐριπίδης ὑπήχθη πως κατ᾽ ὀλίγον εἰς μέθην. εἶτα συγκλιθέντα αὐτῷ Ἀγάθωνα τὸν τῆς τραγῳδίας ποιητὴν περιλαβὼν κατεφίλει τεσσαράκοντα ἐτῶν που γεγονότα.* Quod quidem testimonium cur in dubitationem vocaremus, ratio nulla

esset, etiamsi aliis praeter Aelianum testimoniis Agathonis in Macedonia una cum Euripide commoratio non confirmata esset: quae quoniam ad aetatis definitionem nihil pertinent, aptius nunc omittuntur.

Ut autem, quo tempore apud Archelaum Agatho versari potuerit, cognoscatur, exploranda ipsa Archelai aetas est. De qua diversissime statuerunt historici tum veteres tum recentiores. Veterum autem memoria quam incerta Archelai aetas fuerit, vel ex eo intelligitur, quod eandem ne *Athenaeus* quidem compertam habuit, qui ut illam definiret, *lib.* V. *p.* 217. *D. E.* miris usus est ambagibus, atque a Perdiccae aetate, quae historicorum testimoniis videtur contestatior fuisse, proficiscitur. Duplex autem monumentorum genus est; seiungendi enim a chronographis, quorum consilium simplicem annorum notationem spectat, rationum explicatione destitutam, historiarum scriptores sunt, qui sive dedita opera sive quasi praetereuntes Archelai mentionem fecerunt cum rerum gestarum memoria coniunctam: quorum plerumque haud paullo maior est auctoritas. Ut autem ab annorum numero proficiscamur, quos explesse dicitur regnando Archelaus, cum quadruplex videatur exstitisse sententia: septem enim anni ei tribuuntur a *Diodoro Sic.* XIV., *cap.* 37., quattuordecim a *Georgio Syncello Chronograph. p.* 254. *A. ed. Paris.* itemque *p.* 263. *A.* (quae ex Diodoro referri ab Syncello temere contendit Dodwellus *pag.* 18. *b. l. c.*); decem et septem a *Diodoro apud Eusebium* in linguam Armeniam translatum *vol.* I. *p.* 323. *ed. Venet*; denique quattuor et viginti tum ibidem *p.* 324. tum ipsius Eusebii *Canone chronico vol.* II. *p.* 213.: primo existimabamus omnem illam controversiam facillime sic posse dirimi, ut non sola per se spectaretur Archelai aetas, sed coniungeretur cum eà et compararetur Perdiccae imperium, cui ille successit. Cuius de imperio item quadrupliciter existimatum esse a veteribus hi-

storicis *Athenaeus* docet *lib.* V. *p.* 217. *D. E.* Nam cum ab *Nicomede Acanthio* diceretur annos regnasse quadraginta unum, quibus unum tantum demit *Anaximenes* (Lampsacenus, ut videtur), contra *Theopompus* ei attribuit quinque et triginta, *Hieronymus* autem XXVIII., denique XXIII. *Marsyas* et *Philochorus.* Cum his, quos ultimo loco appellavi, plane convenit *Diodoro ap. Euseb.* I. *p.* 323. cf. *p.* 324. et *Syncello p.* 247. *B.* et 262. *D.*, cum Hieronymo rursus ipsi *Eusebii* II. *p.* 211., denique cum Nicomede *marmoris Parii* auctori *lin.* 73. et 76. vel *ep.* 59. et 62. Quodsi brevissima quaeque imperii spatia adiungimus longissimis quibusque utriusque regis, eademque ratione ea, quae sunt media, inter se disponimus, illorum testimoniorum discrepantia solvitur eatenus, ut omnis controversia quattuor ad summum annorum discrimine vertatur, et annorum summa utriusque imperii coniuncti quadragenarium numerum non excedat. Quod mathematicorum ratione declarari potest in hunc modum:

Perdiccae anni.	Archelai a.	
41 +	7 =	48
35 +	14 =	49
28 +	17 =	45
23 +	24 =	47

Itaque cum de summa annorum, quos amborum regum imperium expleret, propemodum conveniret historicis, de eo tantum videri possit dubitatum esse, quomodo utriusque regno suus annorum numerus distribuendus esset.

At vero haec minime ita esse, argumentis docetur gravissimis. Etenim et illud reputandum est, ea de Archelai regno testimonia, quae primo et tertio loco posuimus, non esse diversas diversorum sententias, sed ex uno eodemque Diodoro sumpta: qui, si res ita se haberet, adeo dupliciter sibi ipse repugnaret, ut apparebit

posthac: nec praetermittendum hoc est, quod, qui singulis Olympiadibus regum Macedonicorum imperia disposuerunt, ne de initio quidem Perdiccae vel fine Archelai ullo pacto inter se consentiunt. Namque ut omittam *Athenaei* verba *lib.* V. *p.* 217. *E.* manifesto corrupta, ex quibus totus pendet *Claudius Salmasius*, *Exercitat. Plinian. p.* 111. *a. ed. Pitisc.* non saniora tradens quam *Solinus* suus *cap.* IX. *D.*: *Eusebius* quidem *Can. chronico pp.* 211. 213. 217. Perdiccam regnasse statuit ab Ol. LXXX. a. 1. ad Ol. LXXXVII. a. 1., Archelaum autem usque ad Ol. LXXXXIII. a. 1. Ab quo uno tantum anno, ut solet, *Hieronymi* translatio latina discrepat, *p.* 131. 133. in *Scaligeri Thesauro temporum, ed. alt.*; sed mirum quantum distat *Syncellus pp.* 247. *B.* et 254. *A.*, cuius hi sunt numeri: 5058, 5081, 5095: hoc est Ol. LXXXVI. a. 2., LXXXXII. a. 1., LXXXXV. a. 3. cf. *Ideleri Chronolog. vol.* II. *p.* 455. Rursum in *marmore Pario l.* 76. *ep.* 62. Perdiccae obitus et imperii initium Archelai attribuitur Ol. LXXXX. anno 1.: nam Perdiccae initium nunc possumus missum facere. Sed huius marmoris auctori cum alii errores a multis exprobrati sunt, tum hac in re vitium excidisse iam *Thomas Lydiatus* vidit *Annot. ad Chron. marm. p.* 6—8. et *Humphredus Pridosius Notis histor. p.* 222. *ed. Oxon. a.* 1676., atque *Dodwellus Annal. Thucyd. p.* 18. *Duk.* Quodsi enim talis scriptoris, qualis est *Thucydides*, fide et auctoritate constat, anno belli Peloponnesiaci decimo et sexto, id est Olymp. LXXXX. a. 1. etiamtum regnasse Perdiccam, id quod discimus ex *lib.* VI, *cap.* 7. (falsa enim refert Pridosius l. c.), profecto non potest illi Archelaus successisse quattuor annis ante. Idem autem Pridosius quod Perdiccae imperio ad annum alterum Olympiadis XCI. producto sategisse se putat, redarguetur eis, quae infra disputabimus. Ut autem nunc *Iosephi Scaligeri* miros errores praetermittamus *Animadvers. in Euseb. Chronolog. p.* 106. *b.* 108. *b.* itemque *Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ* p. 321., partim acerbe a Lydiato casti-

gatos, partim a *Petro Baelio* verbosius *vol.* I. *p.* 293. *ed. vernac.*, profecto singulari casu factum esse videri debet, quod ne *Isaacus* quidem *Casaubonus*, eximius philologus, cuius ingenii aciem nescias an mentis prudentiam pluris facias cum immensa coniunctam et linguarum et historiarum eruditione, in illa quaestione ab errore sibi potuit cavere. Is enim *annot.* in *Athen.* V. *p.* 217. *E.*, postquam ingeniose, quae esset ad emaculanda Athenaei verba via instituenda, perspexerat, tamen perversam in partem usus est *Diodori* verbis, qui Lachete archonte vel Ol. LXXXXV. a. 1. haec esse gesta narrat *lib.* XIV. *c.* 37.: *κατὰ δὲ τὴν Μακεδονίαν Ἀρχέλαος ὁ βασιλεὺς — τὸν βίον μετήλλαξε, βασιλεύσας ἔτη ἑπτά.* Quo testimonio ita nititur Casaubonus, ut Archelai imperium Ol. XCIII. anno 3. et Ol. XCV. anno 2. definiat: collaudaturque a *Baelio*, *Perizonio ad Aelian.*, aliis. Ac leve est, quod Lachetem confudit cum Aristocrate; gravius autem, quod illa verba non posse sic scripta esse a Diodoro minime perspexit: quippe eundem Archelaum idem Diodorus perscripserat *l.* XIII. *c.* 49. Pydnam expugnasse archonte Glaucippo, hoc est Ol. XCII. a. 3.: ut minimum decem annorum eius imperium fuerit. Prudens enim omitto mortem Euripidis, qui illo ipso Olymp. XCIII. anno tertio mortuus esse apud Archelaum dicitur. Quapropter corruptelam quandam inesse in *ἑπτά* voce merito censuit *Lydiatus* p. 8., nimius ille in corrigendo annorum numero: quo paullo consideratius egit *Dodwellus l. c.* *p.* 18. b., in cuius sententia *Petrus Wesselingius* acquievit *ad Diodor. vol.* I. *p.* 671.. Nec discrepat *Dionysius Petavius Rationar. temp. P.* II. *p.* 115. *ed. Lugdun. a.* 1745. Quorum disputatio etsi casu quodam factum est ut ad veritatem proxime accedat, tamen quia et investigandi subtilitate ac plenitudine et ratiocinandi necessitate destituitur, Dodwellus autem, de cuius commentandi genere taedii plenissimo vere iudicavit *Niebuhrius Comm. de aetate Scylacis Caryandini* p. 113. 114. *vol.* I. *Opusculorum*,

ne ab erroribus quidem vacuus sit, operae pretium fuerit, novis eisque gravissimis argumentis, quomodo Diodori verba emendanda sint, demonstrare.

Occurrendum est autem opinioni cuidam, quae etsi a nemine est in medium prolata, tamen propter magnam quandam veri speciem suam refutanda videtur esse. Quid enim? dicat quispiam, cum in *Eusebianis* illis, ab interprete Armenio servatis *p.* 322. *sq. vol.* I. (quae dubitari potest, utrum excerpta tantum ex Diodori bibliotheca ab Eusebio sint, an ipsius Diodori fragmentum, id quod veri potest similius videri propter Eusebii verba *pag.* 323. *l.* 8. „*et post pauca verba iisdem addit dicens*" —) illis igitur cum *XVII.* anni tribuantur Archelai imperio, verine quicquam esse similius potest, quam *ἑπτά* illud librorum MSS. corruptum esse ex *ἑπτακαίδεκα* vel *δεκαεπτά*? At vero nec Diodorum sic scripsisse, et eundem numerum in Eusebianis corruptela esse affectnm, plenissime coarguam. Quamvis autem difficile sit, non labi in lubrico hoc commentandi genere, quod in numerorum computatione versatur atque emendatione, tamen non inutile arbitror esse, *de Eusebianis illis* quaerere diligentius. Quodsi apparebit sive Eusebium ex diversissimis bibliothecae capitibus Diodori singulari industria historiae Macedonicae quasi compendiariam memoriam contexuisse, sive — quoniam ipsius Diodori verba, prooemii loco, ut videtur, Macedonum historiae praemissa, ab Eusebio posse transcripta esse coniecimus — fragmentum illud cum aliis eiusdem Diodori testimoniis congruere: profecto non erit illud Eusebii Armenii caput vel futuro Diodori editori negligendum, vel eis, siqui post *Spanhemium de Usu et Praest. Numism. diss.* VII. *p.* 371 *sqq. vol.* I. *ed. a.* 1706., *Valckenarium ad Herodotum*, VIII. *c.* 139. et *Wesselingium ad Diodorum* instituerint in Macedonum historiam inquirere. Quod etiam de aliis quibusdam fragmentis dictum esse

volo, inde a *p.* 313. *exempli Armenii* perscriptis: quibus historiae illustrantur Corinthiorum et Lacedaemoniorum. Quae omnia ex Diodori bibliotheca sumpta esse ipse testatur Eusebius tum *p.* 314. *init.*, tum *p.* 318. Illuc revertor. Positi sunt in fragmento isto, ut omittam priores, reges hice:

Perdiccas (II)	annorum	XXII.
Archelaus (I)		XVII.
Aëropus (II)		VI.
Pausanias		I.
Ptolemaeus		IIII.
Perdiccas (III)		V.
Philippus (II)		XXIV.
Alexander M.		XII. vel XIII.

Plane cum his convenit Diodoro de Aëropo, quem regnasse ait ab Ol. XCV. a. 1. ad XCVI. a. 3. *lib.* XIV. *c.* 37.; de Pausania, eodem anno interfecto, *lib.* XIV. *c.* 89.; de Philippo per XXIV. annos regnante inde ab Ol. CV. a. 1. ad CXI. a. 1. cf. *l.* XVI. *c.* 2. cum XVI. *c.* 94.; itemque de Alexandro. At vero inter Pausaniae et Ptolemaei regna Diodorus quidem interposuit Amyntae imperium XXIV annorum, ab Ol. XCVI. a. 3. ad CII. a. 3., cf. *lib.* XIV. *c.* 89. cum XV. *c.* 60., annuumque Alexandri regnum, *lib.* XV. *c.* 60. Quorum nomina dubitari nequit quin in Eusebii indice interciderint. Quod quidem ita esse debere, cum aliis de caussis apparebit postea, tum intelligitur ex indice regum Macedonicorum, ab Eusebio statim post Diodori fragmentum posito *p.* 324. 325., quo quasi summam comprehendit antea narratorum; cuius indicis, licet compluries discrepantis ab ipsius fragmenti memoria, tamen aliquis usus esse potest ad fragmenti verba vel supplenda vel corrigenda. Discrepantia autem ista, quae in hac ipsa postrema parte regum Macedonicorum potissimum cernitur, minime tanta est, quanta esse

primo aspectu videtur; atque relicua quidem nunc praetermittimus: ea tantum commemoramus, quae cum hac quaestione sunt coniuncta. Itaque Aëropi loco etsi posita sunt Orestis (ne a Diodoro quidem silentio praetermissi XIV, 37.) et alterius cuiusdam Archelai nomina, tamen annorum summa, quae ambobus attribuitur, uno tantum anno excedit Aëropi imperium. Sed, quod huc est imprimis accommodatum, et Amyntae imperium non est praetermissum post Pausaniae nomen: (nam quod XXIV. Amyntae anni in duas sunt partes distributi interposito Argei regno, id ipsius Diodori memoria nititur *lib.* XIV. *c.* 92.: a quo in eo tantum receditur, quod Argei biennium non continetur illis XXIV. Amyntae annis, sed iisdem praeterea additur:) et vero Alexandri annuum imperium commemoratum est. Itaque ex eodem indice Eusebii emendandus est quinquennalis numerus, qui Perdiccae III. attribuitur in fragmento Diodori: illum enim sex potius annos regnando explesse de Diodori sententia, ex eo colligitur, quod trina Alexandri, Ptolemaei Aloritae et Perdiccae imperia ab Ol. CII. a. 3. ad annum Ol. CV. primum pertinuisse legimus apud Diodorum *l.* XV. *c.* 60. et XVI. *c.* 2.; ad quod decennium explendum praeter annuum Alexandri spatium et triennium Ptolemaei opus est sexennio Perdiccae, non quinquennio: atque idem plane perscriptum est a *Syncello p.* 260. *C.* et *p.* 263. *B.* et *Eusebii Canone p.* 221. Eundemque in modum viginti duo anni, qui Perdiccae II. (eius, qui antecessit Archelaum) imperio tribuuntur in fragmento Diodori, augendi uno anno sunt ex indice illo Eusebii, et *Syncello p.* 247. *B.* et *p.* 262 *D.*, cum quibus vidimus congruere Marsyam atque Philochorum, egregiae scriptores auctoritatis, quos ipse secutus *Athenaeus* est *l.* V. *p.* 217. *E.* Praeterea cum de annorum summa Perdiccae I. (eiusdem, quem primum Macedonum regem Thucydides statuit cum Herodoto) dupliciter traditum reppererit Eusebius in suo Diodori exemplo, ut ait *p.* 323. *l.* 8.: quandoquidem alterutra scriptura

necesse est corrupta fuerit in codice MSC., mecum puta XLII. annos Perdiccae tribui a Diodoro, non XLVIII.

Nunc autem accipe, cui usui haec tam operosa demonstratio instituta sit. In excerptorum enim illorum fine *p.* 324. *l.* 5. summa annorum, quos regnando explerint Macedonum reges inde a Carano usque ad Alexandrum Magnum, dicitur fuisse CCCCLIII. Quem numerum nihil prorsus caussae est, nedum rationis, cur corruptum opinere. Emendatis igitur annorum numeris Perdiccae II. et III., ubi calculum ita subduxeris, ut interim dematur Archelai imperium, cuius definiendi caussa haec omnia disputantur, anni efficiuntur CCCCXIV; quibus adde XXIV. Amyntae annos, unumque Alexandri, quorum nomina interciderunt: habebis annos CCCCXXXIX. His nunc demum adiice Archelai annos XVII: redundantiam vides esse trium annorum. Ex quo apparet totidem annos Archelai nomini ascriptos fuisse in excerptis saepius dictis, quot ei tribui vidimus a Syncello, hoc est XIV., eumque numerum vitio esse affectum a librariis sive Graecis sive Armeniis. Ex quo rursus consectarium illud est, Diodori verba *lib.* XIV. *c.* 37. sine ulla haesitatione sic esse scribenda: *κατὰ δὲ τὴν Μακεδονίαν Ἀρχέλαος ὁ βασιλεὺς — τὸν βίον μετήλλαξε, βασιλεύσας ἔτη τετταρακαίδεκα* sive *τετταρεςκαίδεκα.* Quippe ΔIIII numerorum notae, ubi evanuerat Δ signum, facillime convertebantur in ΠII: quod genus permutationis nuper *A. Boeckhius* commendavit *Oecon. civ. Athen. vol.* II. *p.* 101.

Maluimus autem huius emendationis necessitatem antea demonstrare ex ipso Diodoro; nunc quasi cumulum addimus Thucydidis auctoritatem: a quo quod postremam Perdiccae mentionem factam esse putarunt omnes, qui in Archelai aetatem inquisiverunt, *lib.* VI. *c.* 7., de quo dictum est supra, falluntur haud mediocriter. Nempe praetermissus est in *Dukeri indice v. Perdiccas*

locus *lib.* VII. *c.* 9., quem miror etiam *Naekii* diligentiam subterfugisse, *Choeriliorum p.* 25. 26. non improbabiliter de Archelao disputantis. Verba autem Thucydidis haec sunt: *Ἐν δὲ τῷ αὐτῷ θέρει τελευτῶντι* (hoc est Olymp. XCI. a. 3.) *καὶ Εὐετίων ὁ στρατηγὸς Ἀθηναίων μετὰ Περδίκκου στρατεύσας ἐπ' Ἀμφίπολιν* e. q. s. Quibus docetur apertissime, eodem *Olympiadis LXXXXI. anno tertio* et Perdiccam vita cessisse et *ad imperium accessisse Archelaum,* qui quidem regno praefuit usque ad Ol. LXXXXV. a. 1. Itaque ut hoc etiam addam, quod a nemine vidi annotatum, quam solis defectionem Archelai aetate accidisse narrat *Seneca de beneficiis lib.* V. *cap.* 6., ea apprime quadrat in imperii tempus Archelai ita, ut a nobis factum est, descriptum. Accidit enim illa ultimo belli Peloponnesiaci anno, hoc est ante Archelai mortem annis quattuor. Cf. *Dionys. Petavii Doctr. temp. vol.* I. *p.* 495.

Nunc demum ad Athenaeum licet reverti, in cuius verbis reconcinnandis parum sibi cavisse Casaubonum censuimus supra. Memorabilis est autem *Schweighaeuseri* incogitantia. Is enim tametsi Archelai mortem perperam ad Aristocratem archontem a Casaubono referri recte monuit *annot. p.* 234. *vol.* III., tamen non modo Casauboni scripturam, coniectura excogitatam, in verborum continuationem Athenaei recepit summa inconstantia: quippe certe *ἕως Ἀντιγένους* scribendum erat loco Calliae Casauboniani: sed etiam, quoniam *τεσσαρεςκαίδεκα* restituendum esse apud Diodorum Dodwello et Wesselingio credit, licet ab argumentorum vi satis destitutis, vel hac ratione Calliae nomen recte se habere nugatur, cum etiam Ol. XCII. anni primi archon item Callias fuerit. Quae computandi ratio adeo fefellit virum aliqui non imperitum, ut non modo Casaubonianum unius anni errorem non correxerit, sed rursus alium addiderit illius simillimum: nam ab Ol. XCII. a. 1. ad XCV. a. 1. non XIV sunt sed XII anni. Quae tam aperta peccata mirari licet

non perspexisse virum historiae non minus diligentem quam philosophiae, *Fr. Schleiermacherum*, qui ex Schweighaeuseri erroribus totus pendet *annot. ad Platonis Gorgiam p.* 476.

Sed ut nos post tot errores refutatos certi aliquid ipsi afferamus, Athenaeum coniicimus in hanc fere rationem scripsisse: *Περικλῆς δ' ἀποθνήσκει κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου, [ἐπ'] ἄρχοντος Ἐπαμείνονος· [ἀφ' οὗ ἔτεσιν ὀκτὼ πρότερον τὴν Μακεδόνων ἀρχὴν Περδίκκας διαδέχεται, καὶ βασιλεύει ἕως Πεισάνδρου·] ἐφ' οὗ τελευτᾷ τε Περδίκκας καὶ τὴν βασιλείαν Ἀρχέλαος διαδέχεται.* Neque enim *ἄρχοντος* vocis ad Pisandri nomen requiritur additamentum. Ab illis autem *ἀφ' οὗ* proclive erat ad *ἐφ' οὗ* verba aberrare librarium. Ita autem etsi ipsa scriptoris verba restituta esse minime mihi arrogo, at sententiam requiri plane eandem persuasum habeo. Etenim primum necesse est compertum habuerit Athenaeus imperii initium Perdiccae: alioqui enim non intelligitur, cur summam annorum, quos idem regnarit, tanta sedulitate exquirat: quod profecto fecit iccirco, ut imperii initium Archelai definiret ratiocinando, non item ei compertum. Deinde vero, cum in eorum partes cesserit, qui XXIII. annos eum regnasse tradidissent, in propatulo est, imperii initium Perdiccae eum retulisse ad Euthymenem, qui archon fuit Olymp. LXXXV. anno quarto, hoc est octo annis ante Epaminonem.

Quod relicuum est, ut Platonicorum aliquot dialogorum, quibus mentio Archelai facta est, ut *Alcibiadis II., Gorgiae, Theagis* tempora non repugnare ei rationi demonstremus, quam solam probavimus: id quidem, quoniam spatii aliquantum poscere videtur, alii huius scriptionis loco reservandum esse duximus.

CAPUT VI.

Revertor ad Aeliani narrationem cap. V. positam. Euripides igitur, etsi quo anno ad Archelaum se contulerit Macedoniae regem accurate proditum est a nemine, tamen Olymp. XCII. a. 4. etiamtum Athenis affuerit oportet, certe usque ad Gamelionem mensem, si non ad Elaphebolionem. Eo enim anno, Diocle archonte, Orestam docuit, ut ex *scholiasta ad Orest. v.* 371. iam *Sam. Musgravius* annotavit *Chronologiae scenicae pag.* 9. *ed. Beck.* et *Fabricius B. Gr.* II. *p.* 240. *H.*, item *Dodwellus ann. Thuc. p.* 18. De morte autem Euripidis, quo illa anno acciderit, quae olim disputavit *Aug. Boeckhius capite* XVI. *de Gr. tr. pr.*, ea hodie ipse improbet necesse est propter correctam a semet pristinam de Lenaeis sententiam, atque improbavit *Commentatione de festis Bacchicis p.* 97. *annot.* 120. Itaque quamvis vacua dubitatione sint duo illa, primum, mortuos fuisse et Sophoclem et Euripidem eo tempore, quo Ranae Aristophanis acta est, h. e. Lenaeis anni tertii Olymp. XCIII., alterum, mortuum esse Sophoclem post Euripidem, id quod *marmoris Parii, Suidae, Thomae Magistri, Apuleii*, ipsiusque *Aristophanis* (*vv.* 802 *sqq.*) fide contestatum est: tamen nequaquam facile obitus Euripidis definiri potest. Qui cum a solo marmoris Parii auctore (cum quo tamen congruere *Diodori* verba videntur *τινὲς δὲ λέγουσι . . . μικρῷ πρόσθεν τούτων τῶν χρόνων*) ascriptus sit Olympiadis XCIII. anno alteri, a plerisque tamen eiusdem tertio attribuitur. Ex quibus solos nomino peritissimos temporum auctores, *Apollodorum* apud *Diodorum lib.* XIII. *cap.* 103. et, quem propter ratiocinationem quandam meam adiicio, *Eratosthenem* apud scriptorem *Vitae Euripidis*, ex codice Ambrosiano editae a *Petro Elmsleio* post Bacchas *p.* 174. *l.* 5. *exempl. Lips.*: qui cum vitae annos LXXV. tribuerit Euripidi, non potuit ullo modo ante Ol. XCIII. a. 3. eiusdem mortem

collocare: alioqui enim ad explendam LXXV. annorum aetatem anno natali opus erat Ol. LXXIV. quarto vel tertio, de quo tamen neminem scimus unquam cogitasse, nec vero Ol. LXXV, 1., de quo ipso consentiunt *Thomas Magister*, *Manuel Moschopulus*, *Vita Ambrosiana*, *Suidas*, *Diogenes Laertius* II. §. 45., et *Plutarchus Sympos.* VIII. *p.* 717. *C.* (*vol.* III. *p.* 957. *Wyttenb.*) ita explicatus, uti factum est *Wesselingii* acumine *ad Diodor. Sic. l. c.* Illius autem iudicatio controversiae, quae est de morte Euripidis, tota pendet ex mortis definitione Sophoclis, utpote quem superstitem fuisse vidimus Euripide. Sophocli enim mortis caussam tragoediam fuisse, praeter *Diodorum*, *Valerium Maximum*, *Satyrum Peripateticum*, auctorem *Vitae Sophocliae* et *Thomam Magistrum*, quos commemoravit *Boeckhius*, etiam *Plinius* testatur *Nat. Hist.* VII. *c.* 53., et si *Lessingium* sequare *De Anthologia Graeca p.* 283—286. *vol.* I. *Op.*, *Simonides Anthologiae Palat.* VII, 20., *Sotades*, *Lucianus* vel quicunque auctor est *Μακροβίων*, itemque *Ister* et *Neanthes* apud scriptorem vit. Sophocl. Ista autem tragoedia sive in scenam est producta, sive recitata tantum, quae quidem diligentior videtur narratio esse Satyri et aliorum quorundam, quorum nomina vitae Soph. scriptor reticuit: non potest ulla ratione tertio anno Olympiadis XCIII. attribui. Nam cum Gamelione mense, quo Ranas docuit Aristophanes, vita iam cessisset Sophocles, cum de Lenaeis, Anthesteriis vel magnis Dionysiis ne cogitari quidem possit, sola supersunt ruralia Dionysia. Quae etsi prorsus latet quibus Posideonis diebus acta sint, tamen, etiamsi ipso mensis initio celebrata sint, nihilo magis Aristophanes potuit Sophoclis mortem ita commemorare, ut fecit in Ranis, quae fabula illius morte tanquam fundamento nititur. Quippe parum credibile est, intra unius mensis spatium et componi fabulam potuisse elegantissimam, et doceri histriones, et choreutas institui, et omnem instrui apparatum scenicum. Quid? quod veri multo adeo similius est, re-

citatam tantum esse Sophoclis tragoediam, Anthesterione mense: de quo genere certaminum *Boeckhius* exposuit §. 21. *Comm. de fest. Bacchicis.* Itaque non video, quid sit relicuum, nisi ut mortuum Sophoclem esse censeamus secundo Ol. XCIII. anno: quod etsi Boeckhio quoque visum est l. c. *p.* 97. *ann.* 120. et *p.* 103. *ann.* 145., tamén adeo repugnat constanti testimoniorum memoriae, quibus Sophoclis obitus ad Ol. XCIII. a. 3. refertur, ut quid hac de re statuendum sit, valde fluctuet iudicium. Quanquam nonnihil discrepantiae fuisse veterum etiam de Sophoclis morte, *grammatici* verbis arguitur, qui *Oedipi Colonei argumentum* scripsit ab *Elmsleio* editum ex codice Laurentiano: *Καλλίου, ἐφ' οὗ φασιν οἱ πλείους τὸν Σοφοκλέα τελευτῆσαι*, quae nescio an in illam partem explicanda sint. Accedit autem aliud quiddam. Etenim Sophocles si mortuus sit anno altero Ol. XCIII., eodem consequitur obisse Euripidem, ut est in marmore Pario, quia Euripide superstitem fuisse Sophoclem vidimus. Idque *Valckenarius* statuit annotatione ad *schol. Phoeniss. v.* 688. *pag.* 689.: cuius mirere inconstantiam, quippe qui *Praefatione* ad easdem *Phoenissas p.* VII. annum Ol. XCIII. tertium Euripidis morti assignarit, primum autem in *Diatribe p.* 191. *b.* Quodsi Ol. XCIII. a. 2. mortuum volumus esse Euripidem, rursum chronographorum nobis iudicia gravissimorum, Apollodori et Eratosthenis, reiicienda sunt.

Iam nunc vero apparet (infra autem apparebit etiam luculentius), quam necessaria fuerit illa, quam de aetate Archelai praemisimus, disputatio: qui si imperium capessiverit Ol. XCIII. a. 3., id quod censuit Casaubonus, quomodo tandem apud eum mori poterat Euripides?

Utcunque igitur illud est, Euripides per breve tantum temporis spatium versatus esse apud Archelaum potest. Pellam enim migravit non ante Olympiadis XCII. annum quartum, mortuus autem certe post Olymp. XCIII. a. 3. non est. Quo tempore si A g a t h o circiter XL. aeta-

tis annum agebat, **natus** sit necesse est **intra** Olymp. LXXXII. annum 4. et Olymp. LXXXIII. a. 3. Quod quidem accuratius definiri potest ex Socratis verbis apud *Platonem, Protagorae p. 315. D. E. HSt. p. 161. Bekk.*: *παρεκάθηντο δὲ αὐτῷ (Προδίκῳ) ἐπὶ ταῖς πλησίον κλίναις Παυσανίας τε ὁ ἐκ Κεραμέων καὶ μετὰ Παυσανίου νέον τι ἔτι μειράκιον, ὡς μὲν ἐγῷμαι, καλόν τε κἀγαθὸν τὴν φύσιν, τὴν δ' οὖν ἰδέαν πάνυ καλός. ἔδοξα ἀκοῦσαι ὄνομα αὐτῷ εἶναι Ἀγάθωνα, καὶ οὐκ ἂν θαυμάζοιμι, εἰ παιδικὰ Παυσανίου τυγχάνει ὤν. τοῦτό τ' οὖν τὸ μειράκιον καὶ* . . . ultima enim vere sic arbitror Heindorfium correxisse, praesertim cum in Parisino E. scriptum sit *οὖν / ἦν*. Dialogus ille habitus esse fingitur Olympiadis LXXXVII. anno secundo: *μειρακίου* autem *νέου ἔτι ὄντος* aetatem non multum fallamur, ubi XVI. circiter annorum esse statuimus: ex quo consequitur, **natum esse Agathonem anno circiter primo Olympiadis LXXXIII.** Sed quod modo ponebamus tanquam exploratum atque indubitatum, sermonem illum, inter Socratem et Protagoram habitum in Calliae aedibus, attribui a Platone Olympiadis LXXXVII. anno alteri, id quidem quomodo demonstretur, ne nimis videatur exspatiari oratio nostra, nunc nolo explicare uberius. Quapropter omissis, quae in promptu sunt, omnibus, satis habeo *Fr. Schleiermacherum* laudare *Prolegom. ad Protag. p. 218 sqq.*, cuius insigni acumini doctrinaeque haud vulgari sua omnia debet *Astius de Vita et scriptis Platonis p. 75 — 82.*, quanquam non sine errorum quorundam accessione vel incogitantia commissorum incredibili vel eximia historiarum ignoratione.

CAPUT VII.

Posteaquam igitur, quo videatur anno natus esse Agatho, vidimus, vitam quousque produxerit quaerendum est. Quae quidem via tuto institui non poterit, nisi antea, quo tempore in Macedoniam se contulerit, cognorimus. Athenas autem nondum reliquerit oportet eo tempore, quo Thesmophoriazusas docuit Aristophanes: qua quidem fabula eiusmodi cavillatione perstrinxit tragicum poetam, quae, nisi ipse affuisset et in Atheniensium oculis quotidie positus, omni vi destitueretur sua. Thesmophoriazusae autem etsi quo anno acta sit, difficile est iudicium, tamen in tanta vel opinionum vel testimoniorum controversia, quam quidem studebimus infra, si modo fieri possit, componere, illud unum dubitatione vacat, non esse post Olymp. XCII. annum alterum in scenam productam. Atque huic ipsi temporis puncto Agathonis praesentia vindicari potest memorabili *Aristotelis* quodam loco, vel quicunque auctor est *Ethicorum ad Eudemum* scriptorum, *lib.* III. *c.* 5. *p.* 123. *Sylb.* *καὶ μᾶλλον ἂν φροντίσειεν ἀνὴρ μεγαλόψυχος, τί δοκεῖ ἑνὶ σπουδαίῳ, ἢ πολλοῖς τυγχάνουσιν· ὥςπερ Ἀντιφῶν ἔφη πρὸς Ἀγάθωνα, κατεψηφισμένως τὴν ἀπολογίαν ἐπαινέσαντα.* Postrema corrige vel sic: *κατεψηφισμένου τὴν ἀπολογίαν ἐπαινέσαντα*, vel *κατεψηφισμένος, τὴν ἀπ. ἐπ.*, quod quanquam propius accedit ad litterarum similitudinem, minus tamen placet altero. Nam *κατεψηφισμένων*, quod placuit *Meiero*, V.C., non videtur verum haberi posse prius, quam etiam Archeptolemi caussam eundem egisse Antiphontem probatum erit. Cf. *Plutarch. Vit. X. Orat. p.* 310. 314. 315. *Reisk.* Illud autem testimonium, et Agathoni honorificum et vero Antiphonti, mirari licet ab omnibus esse praetermissum, qui de alterutro commentati sunt. Non potest autem dubitari, quin *ἀπολογίαν* Aristoteles dixerit laudatissimam illam *περὶ μεταστάσεως* orationem, praeclaro *Thucydidis*

praeconio celebratam *lib.* VIII. *cap.* 68.: de cuius verbis vide *Kruegeri Commentat. Thucyd. p.* 373 *sq.* Itaque cum oratio illa habita sit et ipse Antiphon infami supplicio affectus Olymp. XCII. a. 2., id quod extra dubitationem posuit sive *Spaanius* sive *Ruhnkenius Comment. de Antiphonte cap.* II. *extr.* (*p.* 162—164. *Opuscul. ed. Brunsvic.*): Agathonem, illius laudatorem, consequitur non posse prius quam Olymp. XCII. anno circiter tertio Athenas reliquisse.

Fuerunt autem, qui mortuum eundem fuisse opinarentur iam Ol. XCIII. a. 3. propter *Ranarum* versus 83 et 85.:

Ἡ. Ἀγάθων δὲ ποῦ 'στιν; Δ. ἀπολιπών μ' ἀποίχεται, e. q. s.
Ἡ. ποῖ γῆς ὁ τλήμων; Δ. ἐς μακάρων εὐωχίαν.

His vero mortem non necessario significari, ipsius scholiastae arguitur non indocta annotatione hacce: ἢ ὡς περὶ τετελευτηκότος λέγει, ὡσανεὶ περὶ (παρὰ?) τὰς μακάρων νήσους, ἢ ὅτι Ἀρχελάῳ τῷ βασιλεῖ μέχρι τελευτῆς μετὰ ἄλλων πολλῶν συνῆν ἐν Μακεδονίᾳ. καὶ μακάρων εὐωχίαν ἔφη τὴν ἐν βασιλείοις· τοῦτο δὲ παρ' ὑπόνοιαν. Quod de itinere Macedonico narrat scholiasta, id tanquam ineptum videntur commentum cum *S. Petito Miscell.* I. *c.* 14. ac *P. Baelio Welckerus* contempsisse *de Aristophanis Ranis p.* 241. et *Schlegelius de arte dramat. p.* 308., ut taceam alios; ambiguo autem iudicio Baelium reprehendit *Wolfius Proleg. ad Sympos. p.* XLV. Potuisset autem omnis de verbis Aristophanis dubitatio ista plenissime tolli, si *Platonis Symposium* diligentius esset lectitatum atque excussum, eiusque tempora accuratius et explorata et inter sese distincta. Ut autem duo illa praetermittamus tempora, quo ipsum habitum est convivium, i. e. Ol. XC. a. 4., et quo scriptum a Platone est, h. e. post Ol. XCVIII. a. 4., id quod colligitur ex *pag.* 193. *A.*: narrati quidem convivii tempora dispertita sunt trifariam. Primum enim res gestae symposii ab Aristodemo, qui ipse interfuerat convivis, nar-

rantur Apollodoro, cf. p. 173. *B. HSt.* itemque Phoenici, a quo per alius cuiusdam interventum in Glauconis notitiam transeunt, *p.* 172. *B. C.* Ab illa narratione prorsus seiunctae sunt altera et tertia, quae unius Apollodori sunt, ex quo primum rei illius ab Aristodemo acceptae memoriam audivit Glauco, *p.* 173. *B. extr.*, et paullo post conventus quidam familiarium, coram quibus iam omnia illa narrata esse finguntur, quae nunc legimus in dialogo Platonico, quanquam ipsis Aristodemi verbis narrata ab Apollodoro. Quemadmodum autem prior Apollodori narratio Socrate etiamtunc vivente facta est, ut apparet ex *p.* 172. *C.*, ita ne posterioris quidem tempore mortuus Socrates fuit: quod cum veri sit simillimum iccirco, quia brevi temporis intervallo priorem distare a posteriore narratione *πρώην* vocabulo docetur *p.* 172. *A.*, tum certissimum est propter verba *p.* 173. *D.* *καὶ δοκεῖς μοι ἀτεχνῶς πάντας ἀθλίους ἡγεῖσθαι πλὴν Σωκράτους*, id quod parum perspexit *Astius de Platonis vit. et scr. p.* 313. Itaque cum Apollodorus ad Glauconem verba dicat haecce *p.* 172. *C.* *οὐκ οἶσθ' ὅτι πολλῶν ἐτῶν Ἀγάθων ἐνθάδε οὐκ ἐπιδεδήμηκεν;* —, apparet Agathonem cogitari etiamtunc vivum.

Revertimur nunc ad Aristophanis sive Ranas sive scholiastam. Quodsi mortuus fuerit Agatho, cum Ranae docebatur, prior illa Apollodori narratio acciderit oportet ante Ol. XCIII. a. 3. Ut igitur annum ponamus Ol. XCIII. secundum, quomodo multos tunc annos Agatho potuit Athenis abesse, quem vidimus non ante Ol. XCII. a. 3. ad Archelaum esse profectum? siquidem triennium a nemine unquam *πολλῶν ἐτῶν* nomine appellatum est atque ab ipso adeo *Platone p.* 172. *D.* *πολλοῖς ἔτεσιν* opponitur tanquam prorsus contrarium. Quocirca Bacchi verba apud Aristophanem non dubito in eam partem interpretari, ut lautas Archelai epulas, de quibus vid. Aelian. l. c., liberalemque vitae cultum significari contendam. Atque haud scio, an ipso *μακάρων* vocis initio Macedoniae cogitatio-

nem excitare voluerit poeta, a cuius vel consuetudine vel poesis genere eiusmodi lusus minime alieni sunt. Quid? quod in ipsa fabula Aristophanis Hercules, ubi ex Baccho, bonos huic deesse poetas, audiverat, tam vere, qui mortui essent, qui vivi, compertum habuit, ut inter omnes illos tragoediae poetas, de quibus sigillatim eum quaerere videmus, ne unum quidem poneret, qui vere mortuus esset: de quo autem uno paullisper dubitare videtur, Iophonte, de eo plane aliter quaerit *οὐ ζῇ;* quam de Agathone: *ποῦ ἐστιν;* Itaque quoniam Euripides fortassis iam altero Olymp. XCIII. anno mortuus est, Agatho non post Ol. XCIII. a. 1. Athenas videtur reliquisse: cuius quidem itineris sic definiti apparet recentem fuisse memoriam tunc, cum Ranae edebatur; quanquam potuit profecto iam Ol. XCII. a. 3. quartove in Macedoniam migrare.

Quantum autem temporis apud Archelaum consumpserit Agatho, non satis exploratum est. Mortuum autem esse illo etiamtunc regnante in Macedonia, scholiastae verbis supra positis demonstrari arbitror planissime. Etsi enim *μέχρι τελευτῆς* verba adeo esse obscure posita et ambigue visa sunt nonnullis, velut *Wolfio* l. c., ut, Archelai an poetae obitus significaretur, prorsus latere putaretur: tamen illa equidem persuasissimum habeo ad subiectum enuntiationis grammaticum, quod est in *συνῆν* verbo, esse referenda: quae quidem construendi ratio nec ulli repugnat scriptoris testimonio, et adeo consentanea est loquendi simplicitati intelligendique commoditati, ut non modo simplicius institui non potuerit oratio, sed contra, si regis mors significanda fuisset, *αὐτοῦ* genitivus deesse nullo modo potuisset. Nam quod multi vehementer in eo sibi placent, ut grammaticis, scholiastis, aliisque id genus scriptoribus nullam loquendi negligentiam, nullam cogitandi perversitatem non esse dignam usquequaque iactitent summa levitate, saepe, credo, stomachum moverunt peritis. Quodsi et hoc certum nunc

est, non post Ol. XCV. a. 1. mortuum esse Agathonem, nec illud repugnat, quod multos iam annos Athenis Agatho abfuisse dicitur priore illa Apollodori apud Platonem narratione, (quippe quae alio termino definiatur nullo, nisi quod et ante Agathonis mortem, de qua quidem nunc quaeritur, et ante obitum Socratis, hoc est, ante eundem illum Olympiadis XCV. annum primum, certe ante Thargelionem mensem, facta sit oportet: cf. *Corsini Fast. Att. vol.* III. *p.* 46 *sqq.* 320 *sq.*): consequitur *vita cessisse Agathonem* non multo ante Archelai mortem, *Olympiade XCIV. fere exeunte, annos natum circiter septem et quadraginta.* Ad hanc enim inde ab Olympiadis vel XCII. fine vel XCIII. initio commode ab Apollodoro vel potius Platone dicuntur multi intercessisse anni, ex quo Athenas Agatho reliquerit. Quodsi pariter brevi ante Socratis mortem spatio, circa finem Olympiadis XCIV. habitam esse censemus priorem Apollodori narrationem, nec tamen post mortem Agathonis, rectissime et Glauco potuit apud *Platonem p.* 173. *A.* satis multum praeterlapsum esse temporis respondere (πάνυ, ἔφη, ἄρα πάλαι, ὡς ἔοικεν) inde a primo Agathonis scenico certamine, quod fuit Olymp. XC. a. 4., et Apollodorus eodem hoc tempore puerum se fuisse dicere ibidem, quippe qui intra XVI. annorum spatium profecto potuit a puerili aetate ad adolescentiam provehi.

Restat ut *Aristidis* convicia in Symposii scriptorem iacta propter Agathonem uno verbo commemoremus. Ille enim *vol.* III. *p.* 475. *ed. Cant.* vel *vol.* II. *p.* 286. 87. *Iebb.* cum alia multa exprobrat Platoni de genere chronologico, quae refutare et longum est et vix operae pretium: (quippe omnia errore nituntur hocce, quod sophista temporum discriminibus Symposii Platonici minime perspectis incredibili perversitate ab Mantineensium διοικισμῷ illo, *p.* 193. *A.* commemorato, profectus cetera omnia, quae ante Ol. XCVIII. facta sunt, turpissima temporis

discrepantia laborare nugatur:) tum *pag.* 286. *extr.* verba posuit haec: ἐν γὰρ τῷ συμποσίῳ συνάγει μὲν ἐς ταὐτὸ Ἀριστοφάνη καὶ Σωκράτη καὶ Ἀγάθωνα, ἔτι μειράκιον ὄντα, ὥς φησι. Ac de postremis sophistam falli arbitror: νέος enim Agatho a Platone dicitur *p.* 175. *E.*, atque *p.* 198. *A.* νεανίσκος. Quae quidem appellatio non minus, quam *adolescentis* nomen, conveniens est in poetam annos circiter XXX. natum: in qua quidem aetate constitutus fuit Agatho eo tempore, quo propter victoriam prima tragoedia relatam habitum est convivium, hoc est Ol. XC. a. 4. Quid? quod sex annis post ὦ νεανίσκε appellatur etiam a Mnesilocho *Aristophanis, Thesmoph. v.* 134., quod qui ab loquendi consuetudine minime abhorrere neget, fortasse excuset vel muliebri molliculi poetae specie, vel eo, quod Aeschylia ista verba sunt, de Baccho dicta, a Mnesilocho accommodata in Agathonem. Nec verendum est, ne quis in *Thesmoph. v.* 141. haereat, ubi dictum est ὦ παῖ. Sed Aristides aut cogitavit de Platonis verbis ex Protagora prolatis supra: νέον ἔτι ὂν μειράκιον, aut negligentius usus est μειρακίου nomine loco νέος vocabuli, quod quidem probabilius possit videri propterea, quod etiam Alcibiadem, quem antea νέον vocarat, paullo post dixit μειράκιον: μειράκια δ' εἶναι τηνικαῦτα Ἀγάθωνα καὶ Ἀλκιβιάδην; aut denique malevolentius praetermisso eo loco, ubi νέον Plato dixit, Socratis verba in mente habuit *p.* 223. *A.* καὶ μὴ φθονήσῃς τῷ μειρακίῳ ὑπ' ἐμοῦ ἐπαινεθῆναι, quae iocoso esse blandimento dicta invidiose tacuit. Ceterum Lipsiensem quidem editorem mirere locorum Platonicorum ab Aristide commemoratorum nullum, ubi reperiretur, indicasse *p.* 370—372. *vol.* II.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Florente Atheniensium republica nullius unquam poetae in tragoedia simul et comoedia opera versata est.

II.

Dinarchi oratio *περὶ τῆς Ἀγάθωνος διαμαρτυρίας*, commemorata ab Dionysio Halicarn. Iudic. Din. p. 114. l. 22. Sylb. (Orat. Graec. vol. VIII. p. 419. Reisk.) non *contra* Agathonem habita est, ut G. F. Schoemanno videtur lib. IV. de iudiciis Atheniensium p. 640. annot. 26., sed *pro* eodem.

III.

Q. Ennii versus, ex Satirarum libro VI. allatos ab Aelio Donato ad Terentii Phormionem, a. II. sc. 2. v. 25., parum autem emendate scriptos ab Franc. Hesselio p. 189., reconcinno in hanc speciem:

Quippe sine cura, laetus, lautus cum advenis,
Intentis malis, *ex*pedito bracchio,
Alacer, celsus, lupino *exspectans impetu*,
Mox *dum alterius* obligurrias bona,
Quid censes *domino* esse animi? Pro divom fidem,
Ille *tristi'* cibum dum servat, tu ridens voras.

IV.

M. A. Plauti versus, Captiv. II, 2, 56., sic est sive scribendus sive pronuntiandus:

Qui imperare *insueram*, nunc *alt'rius* imperio obsequor.

V.

Lapsus est scholiasta ad Aristophanis Ranas, v. 53.: *ἡ γὰρ Ἀνδρομέδα ὀγδόῳ ἔτει προῆκται.* Dicendum erat *ἑβδόμῳ* vel *ἕκτῳ*.

VI.

Parum recte Nubium versum 1081. interpretatum arbitror cum St. Berglero et R. Brunckio G. Hermannum esse annotatione ad schol.

VII.

Scholiastae Ravennatis verba ad Thesmophoriazuson v. 30. sic fuisse antiquitus scripta contendo: *ἐπειδὴ οὐ πάλαι ἤρξατο διδάσκειν, ἀλλὰ ἓξ πρὸ τούτου ἔτεσιν.* In libro MS. est *τρισίν*.

VIII.

Carminis ab A. Gellio servati Noct Att. XIX. c. 11. versus quintus in hunc modum redintegrandus est:

Anima aegra *amore* et saucia.
